

Hic tangere manus, ille flavum verticem  
 Mulcere pueris . ipse quoq; præ gaudio  
 Pueros gynæceum usq; lætus prosequor.  
 At hera colenda quæ tui nobis loco  
 Successit, antequam puerulos viderat,  
 Vultu renidenti intuens Jasonem  
 Hærebat: at post mœsta tristis lumina  
 Abscondit, ora retrò flectens candida,  
 Quippe puerorum graviter adventū ferens.  
 Sed leniebat molliter puellulæ  
 Iras Jason, differendo talibus:  
 Adversum amicos ne fueris aspera: animum  
 Componere: rursus flecte vultus, ac puta  
 Hos esse amicos, quos maritus diligit.  
 Et dona suscipe, & patrem exora tuum,  
 Hinc ne releget pignora, meam in gratiam.  
 At illa mundum ut vidit, haud viro amplius  
 Negare quicquam sustinuit. ac antequam  
 Tectis abessent genitor & nati procul,  
 Ornata peplis ipsa versicoloribus.  
 Mollem corona pressit aurea comam,  
 Sese nitentis ante speculi splendidum  
 Aequor refingens: ac renidens suaviter,  
 Spectabat umbram corporis inanimem sui.  
 Dein sede sublevans è regia,  
 Per tecta graditur læta donis, molliter  
 Eburna terræ collocans vestigia,  
 Et colla